



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia  
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,  
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de  
Inferno, Expositione Cantici ...**

**Massei, Giuseppe**

**AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707**

**VD18 12383155**

Benevolo Lectori Interpres.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)



## Benevolo Lectori Interpres.

**R**Edeco ad Ludum veterem, ex quo, velut rude donatus, abiisse videri poteram. Boni communis studio, multorum desiderio, Authoris ipsius voluntate, latinè ex Hetrusco interpretatus sum aliquammultas P. Pauli Segneri, viri sanè magni, Lucubrationes. Si vera retulit Bibliopola, non displicuit qualiscunque meus stylus Lectoribus, certè emptores non defuère. Debebam hinc excitari ad ceteros quoque tanti Parentis partus simili veste ornandos, ut pluribus placerent. Voluntas non defuit. Facultatem eripere negotia, quæ interim alienâ voluntate me distinuerunt. Quamquam nec illud negaverim, cum Sacri Panegyrici potissimum operam meam exposcerent, absterritum me nonnihil difficultate operis. Cum enim hoc maximè in genere Italica triumphet Eloquentia, verebar, ne multum gratiæ tam disertis Orationibus meâ balbutiæ detraberetur. Ausus sum tamen, cum otij aliquid indultum esset, & fidem datam Bibliopola, atque Author reposcerent, & non exigui boni spes stimulos ad-moveret. Prodierunt ergo Idiomate latino Panegyres; utinam quales expectabantur! Sed ego jam pridem novi, quàm longè infra Authorem Interpres sim. Sudabant ista sub prælo, cum aurem mihi non leniter vellicat, hæc quam affero, & tibi offero Concordia. Ab hac ne diu discordarem cæpi & ipsam Latinitate donare. Sed monuit nescio quis, ne perderem ope-

*Benevolo Lectori Interpres.*

ram nēve invisum Roma partum Romano habitu erudito orbi exhiberem. Non negligenda res visa est; consului Romam ipsam, & sensum ejus exploravi. Absit enim à me, ut prudens ab ejus placitis dissentiam; aut loquar, quod taceri ipsa vult. Jussit me illa bono esse animo: pergerem alacriter: fuisse quidem, rebus nondum satis exploratis, qui censerent; imponendum Paulo silentium, qui ductus Zelo non secundum scientiam aliū, quàm res posceret, exclamasset. Aliud tamen subinde aperuisse diem, nec mitius fuisse clamandum contra fures & lupos, qui Quietis sub schemate turbas ciebant, & lectissimo Christi Gregi stragem gravissimam, innocentibus tecti exuviis, inferebant. Magnas deberi gratias Paulo, qui inter primos retexisset fraudem, & vel suo cum periculo perniciem amoliri studuisset. Interesse Orbis Christiani, non nescire & malum quod imminebat, & mali remedia. Sic animatus non destiti à cæptis. Perrexi interpretari stylo, quæ argumentum videbatur poscere. Vocibus usus sum receptis apud Ascetas & Theologos; ne rem satis obscuram intricarem amplius, & obscuriorem redderem. Sic visum mihi, & puto, etiam aliis. Moneo etiam, ne suspecta tibi fides mea sit, me non sen. el. S. Salesij, S. Teresa, & aliorum verba ex Italico Authoris tantum quàm candidissimè latinè reddere conatum. Editiones latina eorum operum ad manum non erant. Unde mea, non aliorum verba, tibi appendo, fide optimâ; quam si probas gaudeo, tuâ magis, cujus commodo laboravi, quàm meâ causâ: nec enim aliud hîc spectavi, quàm tu ut fieres melior,  
DEUS semper magis gloriosus.

Intro-